

Benedictum contra infrascriptum Georgium, cuius quidem petitionis tenor talis est: «Coram uobis nobilibus et sapientibus uiris dominis iudicibus curiarum consulum et maris ciuitatis Jadre, conqueror ego Benedictus marangonus filius Zanini piscatoris de Jadra, de Georgio Sesselich habitatore Jadre, in eo uidelicet, quod cum ego Benedictus predictus ex parte una, et dictus Georgius parte ex altera, fecerimus societatem inter nos modis et conditionibus infrascriptis, uidelicet, quod ego Benedictus predictus ponere deberem duas tercias partes denariorum, et ipse Georgius reliquam terciam partem denariorum et suam barcam et suum filium et suum famulum, et quod de omni lucro quod faceremus ego Benedictus predictus habere deberem medietatem, et ipse Georgius habere deberet alteram medietatem et ultra dictam medietatem habere deberet libras sex paruorum ex comuni massa lucri, et cum posuerimus in societate ipsa denarios ut suprascriptum est, et ememerimus (!) hic Jadre ficus et caseum, et deinde iuerimus Nonam et ibi emerimus uinum, et cum ipsis rebus uidelicet, ficubus, caseo et uino iuerimus ad terram Fluminis, et ibi uendimus omnes predictas res, ubi etiam emimus aliquam partem lignaminis, sed non in tanta quantitate que sufficeret carrico dicte barche, a qua terra Fluminis discedentes disposuimus Signam uenire pro complendo carricum dicte barce, et nobis occurrit uentus contrarius et mare procelosum, propter quod non potuimus excedere ultra portum sancti Spasi, in quem portum, longinquum forte duobus milliaribus a Segna, intrauimus cum barca, ubi dictus Georgius dixit michi Benedicto: „Nos sumus in bono portu, ego ordinabo Petro filio meo quod cum fuerit maris tranquillitas ipse mittat famulum ad nos“. Et sic Segnam iuimus, ubi dum essemus, famulus uenit ad nos Signam dicens quod erat maris tranquillitas, et tunc dictus Georgius dixit dicto eius famulo, quod reuertaretur ad barcam, et quod ipse et Petrus eius filius cum barca Signam uenirent. Et sic famulus recessit et iuit ad barcam, et modicum stando Petrus eius filius uenit Signam et predictum Georgium patrem suum reperit, cui dictus Georgius eius pater dixit: „Quare huc uenisti?“. Et tunc dictus Petrus respondit: „Quia famulus dixit michi parte uestra quod ad uos uenirem quam tocus et sic ueni festinus“. In quo medio, cum nullus esset in barca nisi ipse solus famulus, ipse famulus uoluit aperire capsam dicti mei Benedicti, in qua sciebat esse monetam supradictam, uidelicet ducatos III^{or} auri et libras LXXX^{ta} et soldos VIII paruorum, bone monete Venetiarum, sed capsam ipsam aperire non potuit; finaliter ipse famulus cum ferris fecit unum foramen in dicta capsam tantum quod manum inmittere potuit in eadem, unde accepit monetam supradictam, uidelicet, ducatos III^{or} auri libras LXXX^{ta} soldos VIII dicte bone monete, et postmodum aufugit et iuit uiam suam. Quo audito, uidelicet aduentu dicti Petri ad patrem, ego Benedictus dixi dicto Georgio: „Pro certo dictus famulus fecit malam massericiam denariorum qui sunt in barca“. Et in continenti dictus Georgius dixit michi Benedicto: „Vale (!) ad barcam et uide si famulus fecit aliquod damnum“. Et sic ego Benedictus ueni per mare, et dictus Petrus uenit per terram et applicuit cicius ad barcam quam ego Benedictus. Et pecii a dicto Petro si famulus acceperat aliquid, et Petrus michi respondit, quod acceperat nouem panes et terciam partem unius casei et alias res et etiam „tua capsam est male tractata“. Et quando intraui in barca (!) et uolui aperire capsam cum clau, ego capsam aperire non potui, quia deuastata erat sera, et cum aperire non possem capsam cum clau ego dixi